

ADATOK.

UTASÍTÁS A MUNKÁCSI UDVARBIRÓ RÉSZÉRE 1570-BEN.¹

I.

Az eredeti.

INSTRUCTIO NOVA PER DOMINOS COMMISSARIOS ET CAMERAM
STEPHANO SOKLYOSSY PROVISORI MUNKACHIENSI DATA MENSE
JUNIO ANNI 1570.

Cum de fidelitate et industria Stephani Soklyossy sibi domini commissarii, nec non camera Scepusiensis sacrae caesareae regiaeque mattis ect. optima quaequae polliceantur, officium provisoratus arcis Mwnkach ei ante alios committendum duxerunt sperantes eum pro honoris et fidei suae obligatione summa, qua poterit, fide et diligentia illo offitio functurum daturumque operam, ut spei de se conceptae et promotionis ad hoc offitium illos non poeniteat, sibi ante oculos ponens, quod provisos, qui honeste et sincere suo offitio satisfecerint, ad maiora per sacram caesaream mtem fuerint erecti, e contra provisos, qui in fraudem sūae mttis et avare privato commodo incubuerint, quam turpiter ex offitio fuerint depositi cum maxima illorum ignominia praeterquam, quod damna per illos accepta cum dispendio exolvere debebunt et fortasse adhuc maiorem poenam expectaturi sint.

Habebit autem idem Soklyossy inventarium rerum ab antecessore relictarum, quod a commissariis deputatis subscriptum et signatum eorum sigillis esse debet pecuniarum, vini, frumenti, farinae, cardorum et aliorum commeatuum aut rerum relictarum ac proventuum restantialium cujuscunque generis subintelligendo etiam debita, quae a sub-

¹ Ezen utasítás egyszersmind össze van vetve az egyik elébbi udvarbíró: Szentjánosy Lajos 1567. évi utasításával.

ditis suae mattis tempore, quo Joannes Zentbenedeky ab officio discesserit, suae matti debebantur. Ipse tamen nullum debitum a Zentbenedekyo loco restantiae accipiat, nisi examinaverit dictos debitores, an sit liquidum et certum debitum et tale, quod sibi promittere possit, uno mense a dictis colonis exigi posse. Ex hoc inventario quasi ab origine rationes suas futuras auspicabitur.

Ac ut pertinentias et proventus dicti domini noscat, traditur ei cum hac instructione matricula¹ bonorum proventuumque, iuxta quam census et omnia genera reddituum et servitutes exiget inque suis juribus et consuetudinibus subditos, quatenus temporum difficultates patientur, conservabit. Et quandoquidem in dicta matricula seu urbano labores colonorum non rite inscribi potuerunt, sciat, suam mattem velle, ut singuli coloni quadraginta dies ad necessitatem arcis aut rem domesticam laborent et ultra non graventur, accommodata aeconomia, nempe culturatum agri, vini, inductionem nonae et decimae, vectionem lignorum, falcationem foeni, et similibus ad dictum numerum dierum et colonorum; facta etiam hac distinctione inter colonos, qui cum curru, qui sine curru laborare teneantur, ad id, ut pro numero colonorum et dicti labores peragi et curari rite possint. Extra hos labores ad munitionem arcis loco publicae concessionis, quae vigore decretorum ab regnicolis concernuntur, ab singula integra sessione tenebuntur duodecim dies laborare, mediae sessiones sex, inquilini tres, computatis tamen non, ut solent computari et connumerari, in dica, sed ratione sibi datae matriculae.

Ut que eo commodius fieri queat, dictus provisor colonos ad inutilia servitia in arce pro libito non coget, sed tantum ad necessaria, illisque in missione literarum non utatur, nisi magna necessitas requireret; ita etiam ab inutili exactione curruum ad res proprias vel privatos usus militum, servitium s. mattis non concernentes, illis parcat.

Si etiam ex his quadraginta dierum laboribus ordinariis sine magno incommodo reddituum sacrae mattis aliquid defalcari posset, potius illos dies defalcabit, quam quod illos augeat.

Quod si vero non omnes species reddituum in dicta matricula insertae essent, quas posthac provisor suae matti bono titulo pertinere resciret, tum illa nihilominus fideliter pro sua matte recipiat, nec ipsemet ad usum proprium convertet aut ab aliquo alio converti sinat; sed evitetur, ut novam matriculam conficiat, in qua et possessiones, nomina colonorum, et omnes species reddituum exactius, quam in priori factum est, congerat, non emendata tamen priori matricula, sed tantum ut

¹ Ez a matricula vagyis urbarium nines meg.

camerae aut commissariis ad id deputatis possit indicari, qui tandem habita superinde matura deliberatione matriculam novam, si opus erit, conficiant; ipse tamen interim redditus illos novos diligenter ac fideliter, ac si inscripti essent, percipiat].

Congnoscet ex suprascripta matricula peculium seu proprietarias arcis et dominii haereditates: uti vineas, agros, prata, silvas, molendina, telonia, census, nonas, decimas ovium, porcorum maialium et in glandinibus pascentium, vini, frumenti atque diversi generis aliarum contributionum exactiones sub pristinis dominis et officialibus rite factas, quibus se, summota crudelitate, ut fidelis officialis accommadabit. Quodsi possessiones aut aliquot colonos in illa matricula non inscriptos etiam compererit, suum erit, in novam matriculam, de qua suprascriptum est, inscribere et cameram de hac re consulere.

Atque ut metas cognitae habeat sui officii, excepta arcis et loci custodia reiue bellicae administratione, bona universa arcis seu haereditaria seu recens ad eam adjecta cum universis eorum proventibus, haereditatibus, utilitatibus accidentiis et emolumentis quibusvis et quocunque nomine appellandis, suae curae atque dispensationi commissa et tradita fideli sciat mera iurisdictione, cui nec capitanei praesentes, nec qui pro tempore erunt, nec alius quisquam sese ingerat manusque iniiciat, quin ea dispense ipse iuxta tenorem huiusce sibi traditae instructionis et speciales s. caes. mattis aut camerae commissiones.

Ante omnia studium summum convertet in agriculturam, quam institutam ante se retinere et augere conabitur, et ipse in aliis locis instituere minime negliget, cum ex ea potissimum loci sustentatio pendeat et alimenta praesidii reponi soleant. Adeam autem aratra et operas subditorum adhibebit secundum receptam consuetudinem, qua, universa pertinentia Kraÿna vocata, consuetudine etiam tempore Michaelis Bydy senioris atque antea recepta arare circa arcem, metere, importare et allodiaturam exercere tenentur. Atque omnino annitetur, ut sementem singulis annis uberrimam faciat, severitati tamen servitutis exigendae levitate admixta, ne miseri coloni assiduis laboribus poenitus exinaniantur, dumque domino operas continuas praestant, ipsi cum conjugibus et liberis fame enecentur. Ac si ibi uberiorem agriculturam excitare intenderit, fortasse non alienum proposito fuerit tam in commodum s. caesareae mattis, quam in levamen subditorum, ut certa aratra caesareae matti propria teneantur bobus vel equis idoneo numero instructa, maxime si antea quoque usus fuerit. Seminanda autem sibi sciat non grana tantum tritici aut siliginis, hordeï, item avenae, verum etiam legumina, quorum aliquis usus esse possit, utpote milium, pisa, lentes etc.

Esse vero comperimus etiam in pago Orozwegh, oppido Munkach proximo agriculturam abantiquo constitutam cum agris arabilibus, quos pagi duo Wysnycza vocati, Alsó et Fölsó, parare et conseminare tenentur; item in pagis Isnethe, Hwttth, Ztrabycho, Horond, Luchkha, Ruzkocz, Kaydano, Rakos, Iwany, Wary, Wyfalw et sicubi alibi exerceri solita est.

Agriculturam autem in solidum universum caesari reponet fideliter, ubicunque et quocunque in terreno ea fiat, dempto, quod penes vicos Barthaza, Makarya, Pyztranhaza, Sarkad licuit olim provisorii aliquam sementem pro se facere, quam facultatem moderno provisorii minime concessam esse volumus.¹

Et quoniam rem pecuariam foecundam in plerisque locis arci subiectis habitam esse et deinde haberi posse accipimus, quae nimirum pascuis optimis abundans, eam quoque provisor solerti industria ordinabit tot locis, quot magis idonea iudicaverit, expeditis in pascua non boum tantum, verum etiam si ea fuerit commoditas, equorum armentis et ovium ac suum gregibus, unde singulis annis foetura numerum et copiam augeat ac tandem venditio lucrum adferat.

Constituet etiam allodiaturam in locis opportunis atque altitium propagationem uti vaccarum, unde butyrum, casei, lactinia absque praetio procreentur, gallinarum anserum, anatum, in quo etiam sues ducentos continuo servabit, et adhuc ad priores vaceas octoginta conquiret. Poterit autem provisor ab oppidis et pagis bona persuasione certum a singulis numerum postulare, unde initia iaciat allodiaturae; cujusmodi auxilia dubium non est, quin coloni pro facultate libenter sint collaturi: quod si numerum eo pacto collectum minus sufficientem animadverterit, etiam praetio animalia aliqua comparabit et huic curae villicum peritum et idoneum cum eis personis, quae erunt necessariae, aequa et moderata mercede adhibebit.

Sunt vineae multae et insignes domini propriae, eas provisor partim subditorum gratuita opera, in quantum antiquitus fuit observatum, partim vero mercede, si operae pretium est, operariis conductis apte et diligenter excolat, nullius operis seu culturae tempore opportuno neglecto; ac sub tempus vindemiae fructus diligenter colligat et in apotecas s. caesareae mattis reponat et deinceps vina cura diligenti provisa teneat, qua damna avertantur et ea sincera ac illibata conserventur in usus memoratae s. caes. mattis utiliter conferenda.

Quodsi apud Mwnkach quoque id moris est, ut apud Tokaÿ, quo subditi a provisore ad culturam vinearum suarum iam ab ineunte

¹ A Szentjánosiéban: quam facultatem nunc quoque provisorii damus ad beneplacitum.

vere pecunias levant, pro quibus deinde sub vindemia vina reddant multo leviori pretio, quam aliis venderent, nec licet illis alienam pecuniam accipere in eam conditionem illo invito et irrequisito, eam rationem vinorum colligendorum et lucri acquirendi provisor omnino observet ac statim ab anni exordio pecunias oportunitis temporibus subditis scite distribuatur, iis praesertim, qui nobilioribus in locis vineas suas habent et eas possident facultates, ut de restitutione dubium esse non posset. In quo toto negotio statum attendet iam ab ineunte anno miseri regni et regionis illius afflictissimae num sit certa spes percipiendi, ne eventum in manifestum discrimen ponat.

Animadvertimus autem in eo dominio, sicuti alibi quoque, observari, ubi sunt multae vineae dominii, ne communitati vindemia relaxentur, antequam vineae dominii fuerint collectae, id ipse quoque observabit, ut contractis subditis vindemia dominii apte et frugaliter percipiatur.

Cum vero sementem omnem vindemiamque dominii rite comportabit ac reponet, tum in nonarum et decimarum legitimam administrationem summam curam convertet, cum haec duo proventuum capita praecipua sint, atque ubi nonae tantum debentur, eas solas capiat, ubi vero tam decimae, quam nonae arci ab antiquo attinent, ambas iuste percipiat, redditis parochis, sicubi sunt, partibus illos competentibus. Nonis vero et decimis collectis illico regesta partialia, quantum scilicet a quolibet subdito in quouis oppido aut pago provenerit, camerae transmittat sublata omni mora et procrastinatione.

Ac praecipue copiam atque utilitatem faciunt nonae dominii in Beregzaz, et decimae, quas plebanus olim opimas collegit, quarum regesta partialia distincta et bene ordinata provisor conscribet, nisi ministro ecclesiastico eae decimae iuxta antiquum ritum fuerint concessae, vel si pars aliqua in sustentationem ministri fuerit ordinata, eam nunc quoque sine difficultate reddat.

Sumptis repositisque decimis et nonis, ut a quolibet subditorum pro facultate et copia vel inopia vinaria aliquot vini vasa dominio certo pretio vendicentur, moderatione tamen, quam quo aliis venderentur, consuetum in isto dominio fertur; quae consuetudo, si ab antiquo inolevit, non negligenda provisor ea quidem ratio colligendi vini, praesertim si sterilis annus fuerit et alias parum vini provenerit, quod tamen placide, haud violenter agendum, sine injuria miserorum subditorum.

Cum itaque praecipui redditus istius dominii in vini proventu existant, cujus magna copia quotannis colligitur, curam quam maximam convertat provisor, primum in accumulationem, de qua iam perstrinximus, deinde in fructuosam collocationem vini; quam quidem in

parte prima occurit militum praesidiariorum sustentatio, quae non vulgare commodum sacrae caes. matti adferre solet pretio eo facto in mensuram limitato, ut lucrum ex distractione redeat.

Est altera ratio collocandi vina honesti cum foenoris redditu: venditio in Poloniam, ad quam vicinitas regnorum et finium contig-norum praeclaram adfert occasionem, quam provisor attente observabit et cupide arripiat, etiam mercibus in vinorum pretio, si consultum videbitur, receptis, quae hic maioris dividantur.

Tertius modus collocandi vini erit distractio sub signo per spinam seu educillatio, quae passim toto regno receptissima habetur et genus censentur ordinarii proventus; quam ita exercebit, ut idonea vini copia ad praesidii sustentationem selecta et reposita, quantum scilicet ad futuram vindemiam praesidio frugaliter alendo sufficiat, id solum, quod supra eam quantitatem scite capitanei etiam iudicio habito limitatam, supercrit, in educillationes collocetur, quin etiam, ubi e suprascriptis proventuum vinariorum generibus tantum non redundarit, poterit provisor credito a subditis vina in usum educillationis sumere et ex eodem educillo pretium illis reponere; quam quidem distractionem sub signo pretio aequo statuto exercebit citra iniuriam oppressionemque colonorum.

Vbi tanta frugum copia extiterit, quae commeatum annum praesidio militari necessarium longe superet, utiliter eam in alia praesidia conferet acceptis ordinationibus aut sacrae caes. mattis aut camerae, aut si in tantam illae summam resultabunt, etiam venditionibus opportunis exponentur, maxime cum frumenti pretium augetur caritate et penuria oboriente.

Erit etiam commoda ratio tam vini, quam frumenti permutatio, qua ea, quae ad corruptionem tendere animadverteret, subditis dispartiet cum conditione nova eorum loco messis et vindemiae tempore restituendi.

Provisoris vero officio incumbet, granaria, si desint, idonea construere, apotecas vinarias et farinarias excitare et in repositorum conservatione cura atque diligentia uti, frumenta ventillare, farinam statis temporibus commovere atque inventere, etiam elocandis in novi recipiendi spem antiquatis aut ad putredinem dispositis; In vini custodia similem vigilantiam adhibere, vasis firmandis numerandisque et subinde providendo, ut ea plena et sincera asserventur.

Nec negliget censum anniversarium de singulis oppidis et pagis exigere, sicut etiam coeteros proventus ordinarios et extraordinarios rationibusque suis insertos in necessitates sacrae caes. mattis iuxta instructionem hanc seu legitimas commissiones collocabit.

Colliguntur etiam in singulis pagis porci minutiores de cespite, qui

quoniam ad Maium mensem exhiberi solent, maiales seu cespitales vocantur, alicubi unum de tota grege eligendo, alicubi decimum quenquam sumendo; hoc quoque usibus praesidii conservabit et in rationes nediget.

¹ Dabit quoque operam provisor, ne porci colonorum in aliorum silvas, praeter quam silvas suae mattis pellantur, ut decima ex illis pro sua matte excipi possit.

In exactione decimae porcorum provisor ad futurum autumnum hanc ordinem observabit: si quorum porci fuerint infra denarium numerum et pro redemptione de maioribus quidem denarii quatuor, de minoribus vero porcis tantum denarios duos solvere vellent, id non admittat, est enim mera fallacia, sed percipiat iustam et veram decimam, ut exempli gratia de decem porcis cedit et capi debet unus porcus pro decima, de novem autem porcis accipiat provisor secundum valorem de singulo porco nonam partem et erunt novem partes sic intelligendo videlicet, si computatur unus porcus pro florenis duobus, veniunt de novem porcis, de singulo denarii viginti, facientes ratione novem porcorum florenum unum denarios octoginta, et sic ad infra nonarium numerum pariformiter descendendo iuxta valorem porcorum procedet. Provisor domi porcos non dividet, sed vel Cassoviam vel in Scepusium pellat, ibidem maiori cum lucro dividendos.

Tractabit quoque provisor cum Bereghzaziensibus, ut pro nona et decima tam frugum, quam vinorum singulis annis certum numerum frugum in granis et vini in vasis pendant ad arcem.

Provisor erit author colonis, ut quantum fieri potest, quilibet sibi comparet equos vel boves, ut agros colere possent.

Curae quoque erit provisor, cum consilio capitanei necessaria aedificia et tecta putredine corrupta et ruinam minitancia resarcire atque restaurare.

Provisor non concedat nobilibus in possessionibus suae mattis sessiones vel domos emere volentibus, nisi prius reversales dederint, quod omnes census solvere et labores praestare velint instar aliorum colonorum.

Sunt porro telonia ad arcem Mwnkach pertinentia: in ipso oppido Mwnkach et vicis Hath et Gwth ac oppido Berekhzaz, quorum proventus seu parati sive salium aliarumve rerum exigi solitarum provisor fideliter colliget inque accepta et expensa sua ex usu caesariae mattis referet.

¹ A következő 6 pont helyett ez az egy pont van a Szentjánosiében: Colliguntur de hisce subus certi munii tam in glandium pascione, quam in cespite, quibus redemptio fit eorum, qui infra decem reperiuntur, porcorum eas quoque redemptiones provisor perceptionibus suis pure adjiciet.

Item ex confessione colonorum oppidi Wary per solennem testificationem cognitum est, quod si eius loci pons super fluvio Borzwa servaretur, pro nundinis unius festi produceret flor. centum, ideo ad eius pontis restaurationem opportunam provisor curam adhibeat atque ibidem super Tybiscum vadum habeatur, quod cum sit antiquatum, provisor in usum adducere non negliget. Sunt etiam molendina non contemnendorum fructuum circa oppidum Mwnkach, in Reyzowa molendinum duarum rotarum, quod cum sit attritum, restaurabit. In fluvio Latorcza molendinum superius quatuor rotarum, et molendinum inferius quatuor rotarum, in pago Luchkha molendinum duarum rotarum, in Hatth molendinum duarum rotarum, in Ztanfalwa unius, ut aiunt, rotae, quae molendina honestam sustentacionem arcis suppeditant, de quibus universis exquisitas et distinctas rationes provisor sibi expediendas noverit. Adhibebit autem attentam curam quo ad haec molendina in statum meliorem fructuosioremvē adducat et alia, si videbitur e re Caesaris fore, locis opportunis excitet.

Habetur etiam molendinum vicis Barthaza, Makarya, Pyztranhaza, Sarkad serviens, quod ex antiquis temporibus provisorii usibus attributum fuisse aiunt, cum raro et in inundationibus solis officium facere dicatur, quod si ita est, nunc quoque eidem conceditur ad beneplacitum.

Habentur quoque prata non vulgaria, sicut statim sub arce Mwnkach prata nagyretth, kysretth et keozeopseoreeth vocata, et Kaydano et in territorio pagi Gwth, prata Rayphana dicta et alia, unde foenum in copia accumulatur, de quo quicquid usu moderato equorum suorum et arcis supererit per venditionem distrahet et praetium rationibus ascribet.

Habentur ad dominium arcis pertinentes vineae luculentae, quarum culturam suo quolibet tempore diligentissime curabit, de quibus si quas alienatas seu privatis quibusdam personis collatas deprahenderit, etiam camera requisita si opus fuerit, arcis recuperabit, quin etiam alias quocunque titulo iusto superioribus temporibus arcis vindicatas de privatorum manibus eidem mancipabit, atque etiam sacerdotum vineas, quae quidem vacantiae cognoverit, e privatorum potestate iuri arcis seu caesareo vendicabit et camerae elencho distincto comprehensas mittet fructusque earum omnium fideliter collectos bona fide etiam tractabit inque usus utilitatemque sacrae caes. mattis pro sua industria dexteritateque frugaliter collocabit.

Extra censum atque alios redditus ordinarios proveniunt etiam mulctae de maleficiis et criminibus, ut vulneratione, verberatione, invasione, rapinis, de quibus ordinamus, ut mulctae omnes peculio sacrae

caes. mattis mancipientur, dempta parte iudicium in iudiciis, si quae illis de more antiquo cedit et excepta portione provisorii cedere debenti, prout infra patet.¹

In casibus, qui capitis et confiscationis bonorum poenam inferunt, ritum retineat hactenus observatum; si tantum nomine contumaciae seu contemptus sigilli seu mandati vel de alia civilis facti specie talis fertur sententia, sin de maleficio aliquo seu scelere nefario publice in vita scandaloso et exitiali, ut furto manifesto, homicidio, veneficio, adulterio, sublato omni favore seu pacto redemptionis poenam exequatur corporalem, iudicio tamen solenni et legitimo praehabito, excepto proditionis seu mattis lesae crimine, de quo ante executionem cameram edocere ac deinde ex eius sententia statuere debet. Iudicia quoque in posterum in arce celebrari debebunt in praesentia capitanei germanici.

Cum quis semine atque successoribus agnatis et cognatis prorsus defecerit atque ita sine ullo haerede e vivis excesserit, bona illius universa s. c. matti provisor occupet tam mobilia, quam immobilia, ac fideliter conservet deque huiusmodi bonis devolutis cameram mox reddet certiore.

Erit etiam officii et diligentiae provisoris aliquos quaestus rationis commodas inire, ut cum hyberno tempore boves macilenti parvo emuntur, qui in pascuis saginati magno tandem vendi solent. Commemoratur etiam quaestus haud vulgaris ex cutibus boum, vaccarum aliarumque pecudum, pellibusque ovium, caprarum, agnorum tam ibidem de peculio accumulatis, quam pretio exiguo coemptis, praesertim laniis in earum recipiendarum sortem nummos mature impertiendo), haec itaque alia honesta quaestuum genera provisor non omittenda sibi putabit.²

1 A Szentjánosiéban így: exceptis pagis hisce 4, Barthaza, Makaria, Piztranhaza, Sarkad, in quibus mulctae seu hirsagia, quae florenum non excedunt, consuetudine ab antiquo observata cedunt provisorii.

2 A Szentjánosi instructiojában a *putabit* és a *habentur* között czekek olvassuk: Cum porro silvae ad arcis jurisdictionem pertineant multae et pleraeque maximae latissimeque et longissime diffusae, circa Munkach silva Bugiatina dicta, in terreno oppidi Bereg tres silvae iuris regii tantum, usui communi interdictae: Patakkoezi, Papmozia et Zarwas Bereg dictae, quo nonnisi provisor admittente sues glandibus saginandae suscipiuntur, in terreno pagi Bereg Wyfalu silva Egregi erdo dicta eiusdem iuris, in terreno pagi Gath silvae duae: Gathi Mochiar et Kerepcczikoezi adpellatae, in terreno vici Janosi silva regia Zazi eger dicta, in terreno pagi Felsew Wisnicza silva sex miliaria in longitudine continens et fines Hungariae a Polonia pro cursu ad divortium Besked dirimens fagina tota, rursus Cranarum silva longitudine a metis pagorum Hoswa et Dolha ab ortu in occiden'em ad metas dominorum Homonnensium progrediens latitudine alpes complectens Carpatias et fines attingens Poloniae in divortio Besked vocato, de quibus Poloni et Rutheni, aequae et incolae

Habentur etiam muneralia peranni revolutionem consueta, quae ad certos festivitates domino offeruntur, horum quoque rationes peculiari titulo conscribet.

Sunt etiam minuti quidem redditus, ut de nucibus, avellanis deque glandibus, quas subditi antiquitus recepto more colligere arcique inferre tenentur, nec hos sibi praetereundos provisor existimet, quin suo loco rationibus suis inserat.

Quia etiam provisos antiqui nos informant, quod Walachi et Ruteni, qui oves habent, de singulo grege sive magnus, sive exiguus sit, tantum unam ovem teneantur dare, Hungari autem, qui in ista ditione habitant, teneantur de singulis decem agnis unum agnum dare pro decima ovium, quod in vicinis ditionibus inusitatum est, proinde provisor poterit de viginti ovibus unam accipere, similiter etiam cum agnellos decimare velit, debet conscribere prius in mense Aprili oves et colonis comittere, ut decimas agnellorum differant et teneant usque mensem Julium, tamen cum eorum iactura, si qui interea mortui fuerint, ut ita aequalis et conformis fiat solutio per colonos, nisi Walachi et Rutheni exempti essent et de exemptione haberent privilegia, quae provisor intelliget et nobis eorum quoque paria transittet.

Proveniunt tempore vindemiae pensiones certae, praesertim de vineis exterorum seu alibi commorantium, ut panum, avenae, gallinarum et fortasse etiam nummorum, quae distincto titulo in percepta et erogata referat, nec ullum genus proventus vel minimum reticebit aut rationibus excludet suis.

Ac inter praecipua rationum suarum capita recensebit etiam animalia allodialia seu pretio empta aut aliunde accepta, ut boves, vaccas, oves, agnos tum decimales, tum allodiales, porcos decimarios et altiles, item anseres, gallinas, apes et horum non propagationem tantum foeturamque, verum etiam utilitates procreatas, ut butyrum, caseos, formagia, mel et cohaerentia, ut pelles, cutes, lanos, saevum et de porcis capita, spinas, pernas, petasones, arimam, intestina, neque perceptiones tantum horum omnium, verum etiam exitus certos assignabit.

tractus S. Nicolai tam de ovibus eorum coeterisque iumentis, quam de porcis decimas arcu tribuunt et universa consueta ac pensiones certas, in terreno vici Gulh silva incedua Rafayna vocata, in terreno Lawka silva Sarnoya dicta, quae quidem silvae proventus haud vulgares arcu praestant non tantum decimis et redemptionibus porcum, ovium aliorumque iumentorum, muneribusque et pensionibus, de hisce animalibus exhiberi solitis, verum etiam materiae aedificationibus aptae in usum indigentium locatione venditioneque, (cum incedicae habeantur, et ob id custodiri soleant), et pellibus ferarum, ut *pardurum*, vulpium lyncem, luporum.

Habentur autem in Mwnkach etiam horti amplii tam fructiferarum arborum satis amoeni et utiles, quam sementi omnis generis et caulium, olerum, caeparum ollii, radicum et aliarum in escam venientium hortisque nascentium herbarum ac stirpium procreationi apti. Hinc itaque provisor tum fructus usui necessarios tum radices, brassicam, caepas atque alia genera olerum culinae apta in copia reponet ac eiusmodi rerum emptionem tamquam supervacaneam cavebit.

Quod iam spectat ad labores et servitia subditorum, etsi hoc difficili et perturbato rerum statu et temporum etiam onera subditorum ubique augmentur, tamen quoad eius fieri poterit, in antiquis illis suis consuetudinibus, legibus et pristina libertate studebit conservare, ut nonnisi usitata et ordinaria servitia imponat aut quae citra oppressionem et evidentiam ipsorum damna queant ferri, ne contra aequitatem et contra conscientiam christiani hominis acerbitate onerum et exactionum vexentur, locis suis sedibusque in alieno dominio migrare cogantur in evidens praeiudicium nominis et dignitatis detrimentumque rerum sacrae caesareae et regiae mattis, cum illius mattas velit subditos suos ita ab officialibus tractari, ut multum intersit inter horum et suditorum nobilitatis Hungariae immunitates.

Et quoniam loci momenta requirunt, ut capitaneus aliquis vir fortis et militaris arcis et militum praesidio praesit, qui defensionis ac rei bellicae curam sustineat, vult sacra caes. mattas, ut provisor cum capitaneo praesente et futuris mutuam alat concordiam sincero consensu in omnibus observato, praesertim quorum communicationem benevolam usus illius mattis requiret; et quoad arcis locique fidelem custodiam defensionemque, reddito illis suo bonove pro illorum gradu meritoque, ac in difficultatibus, si quae emergerint eiusmodi, quibus ipse a seipso mederi nequeat, a capitaneis opem auxiliumque flagitet.

Quia vero singula rerum momenta atque annexa instructione comprehendi nequeunt, si quae species negotiorum aut proventuum hic sunt praeteritae, quae tandem temporis successu emergerint, aut ipse sua industria depraehenderit, eas quoque sicuti coetera omnia pro renata occurrentia dictus Stephanus Soklyosy provisor curae suae fideique atque diligentiae commissa statuet, ut ubique commoda curet et promoveat s. caes. mattis domini nostri clementissimi, incommoda vero omni virium suarum contentione avertere conetur, prout in hoc et in hanc totam instructionem jurisjurandi sacramento religioso se obligavit.

Quod autem ad praebendam militum attinet, provisor in posterum coquet panes trium librarum pro militibus germanicis ibidem in praesidio arcis existentium prout Cassoviae et in aliis locis moris est et in ponendis rationibus singulum panem taxet pro denariis duobus.

Quotiescunque provisor implere voluerit vina, adhibebit semper unum ex militibus germanicis, quem capitaneus germanus illius loci ordinabit.

Militibus germanis aegrotantibus, si quando cupiverint gallinas, ova, butyrum, mel, laridum, vinum aut similia, ex victualibus teneatur provisor eis dare cum praescitu tamen capitanei germanici, moderate tamen, ne sumptus excedant eorum stipendia, nisi in casu, si quis ultra stipendium suum levasset et esset in extremo articulo mortis positus, non debet negligi, sed misericordia debet illi impertiri, quae vicem elemosinae habebit.

Teneatur etiam provisor dare absque solutione capitaneo germanico acetum ad necessitatem culinæ eius iuxta ordinationem magnifici domini Joannis Ruberi generalis capitanei.

Quodsi caes. matti placitum fuerit ibidem contrascribam tenere vel per transactionem bona et redditus arcis locare alieni, sciat provisor hoc in suae mattis elementi voluntate esse situm, interim vero ad præcavendam suspicionem, quae facile ex invidia, (ob id, quod pecunias provisos ad manus suas percipiunt et pro arbitrio disponere solent) concipitur, debet provisor singulos quotidianos redditus et exitus capitaneo germanorum in arce existenti in suum librum pariformiter inscribendos declarare et demonstrare aut indicare, reque ullos perceptos aut exitus sine suo scitu facere debebit.

Expensae etiam ad speciales commissiones domini generalis vel camerae aut aliis inevitabilibus negotiis suae mattis extra ditionum arcis per provisorem factae in rationibus eiusdem admittantur.

Rationes autem totius administrationis ordinatas et distinctas conscribet, ubi primum perceptiones suas cunctas ordine pro temporis progressu instituto sub suis generibus complectatur, postea erogationes non tantum paratarum pecuniarum, verum etiam comæatus, quos iuxta instructionem hanc seu commissiones legitimos et sufficientes fecerit peculiaribus quasque titulis per genera dispositis collocet, eas porro anno exacto camerae exhibebit adjunctis instructione sua et recognitionibus perceptionum, commissionibus item et expeditoriis seu quietantiis omnium erogationum legitimis ac sufficientibus, nec aliunde quam a camera dependebit, ad quam etiam in difficultatibus recursum habebit, interim vero extractus dilucidos de perceptis et erogatis proventibus universis singulo trimestri camerae Scepusiensi transmittere obligabitur sub corrosione salarii sui eiusce temporis, quo eiusmodi extractus missionem neglexerit.

Quandoquidem provisor ad necessitatem arcis Mwnkach percipit decimas agnorum, frugum et vinorum ex comitatu Wngh, ac sciamus

proventus arcis in tantum sese extendere, ut ultra commeatum arendam pro decimis illis exolvere possit, ideoque curæ erit provisor, ut singulis annis arendam illam quingentorum florenorum exolvat et cameram hoc onere sublevet.

Cum Jacobus molitor exemptionem a rege Mathia habuerit domus cuiusdam horti aut vineæ, vendicant sibi haeredes inde libertatem quandam aut confirmationem perpetuam administrationis molendini, suntque iam diversi, qui ut haeredes dicti Jacobi singulis rotis et lapidibus praesunt, quod cum sit pessimum, non enim callent artem, et molendinum de die in diem fit deterius, provisor itaque viso illorum privilegio, quod de administratione molendini nihil agat, sed tantum de domo, vinea et horto, cum tempore ad dictum molendinum idoneum magistrum sive illorum unum, qui iam sunt praesentes, praeponat et molendinum more germanico parari auxilio capitanei curet, sed hoc cum tempore, nec iam mox faciat, cum in dicto dominio at alia multa mutanda sint, sunt enim multae mutationes simul et semel periculosae.

Cum iam decima Ungwariensis tota percipiatur ad castrum Munkatsch diligentissime eam per decimatores colligi faciat illosque dicti domini libertinis et suis servitoribus adimet, nec non auxilio capitanei equitum ad id utatur, illosque, qui decimam administrare nolunt, non monstratis privilegiis superinde, camerae quamprimum indicet, ut de domino Dobone fertur, qui aliquos Rutenos in possessionibus, quas ante Hungari inhabitaverunt, habitantes habet decimamque, ut aiunt, dare recusat, ut et alii plures.

Cum novas possessiones erigere vult, faciat, si hoc cum Hungaris vel sclavis incolis efficere potest, nec ullos Rutenos amplius in territorium Munkachiense ingerere sinat, sunt enim periculosi coloni.

Nec licitum sit provisorii colonis, qui de novo possessiones extruunt, aliquam exemptionem concedere longiorem, quam ad tres vel quatuor annos ad summum.

De decimis, nonis omnium rerum, de quibus secundum morem et consuetudinem regni solvere consuetum est, nemini quicque remittat, nisi quis evidentia et manifesta superinde habeat privilegia, et haec camerae monstrentur.

Et cum Zekel Antal sit gravis vicinus saepiusque soleat Beregazienses vexare et injuriis afficere, defendat illos auxilio capitanei equitum, nec permittat, aliquid damni suae mattis redditibus aut subditis inferre.

Libertinorum libertates omnes inspiciat et cameram superinde informet, an habeant exemptiones sufficientes.

Knesios vigore privilegiorum in libertate retineat et non ultra,

utuntur enim variis modis abutendi illorum libertatibus, utpote, quod sex vel octo conjugatae personae in una domo habitent, cum tamen fundis aliis utantur, qui non ad dictam domum pertinuerint, ita paulatim omnes fundi ad exemptionem quandam redigerentur.

Sitique vigilans, ut fraudibus Rutenorum innumerabilibus singulari industria anteveniat.

Nec intelliguntur pro exemptis alii fundi, quam illi, quos knesius exemptus tempore exemptionis possedit.

Cumque sua mattas dominium S. Nicolai ad dominium Mwnkasch deputarit, omnes illos fructus percipiet et administrabit, ut alios pertinentes ad officium suum ratione eadem, quae sibi de dominio Munkatsch praescripta est. Labores vero colonorum relinquet integros neque illis utetur ad aliam, quam ad cremandam calcem, secandas et educendas pinus et alias arbores peu fluvium Lathorezam, ad molendinum serrarium, quod in Mwnkasch extruitur, aut alias necessitates, ad quas sua mattas his opus habebit, utpote ductionem scandularum, asserum et lignorum omnis generis ad Pathak et Thokay. Cum enim nec prius laborarunt ad castrum Mwnkasch, hac exemptione nihil detrahitur dicto castro. Et novam hanc scindendorum lignorum et asserum et scandularum institutionem illorumque vectionem ita promoveat et commendatam habeat, ut sua mattas causam habeat illum suum studium recognoscendi.

